



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

III. Laus Geometriae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

AXIOMA IV.

quam clara sunt oculis quæ sunt aspectabilia ; quod ad Principii naturam requirebat Speusippus : & an ita certa sint, ut calidum esse ignem certum est ; aut ut alia certa sint, quæ sunt manifestissima, & quæ qui negent aut ratione aut castigatione opus habeant : haud minus enim certa esse debere Axiomata Proclus definiebat. In quo id notari velim, cum summam & exploratam in Principiis veritatem requirerent Speusippus & Proclus, talem eam desiderasse, qualis reperitur in rebus vel experientia vel sensuum ope cognitis, atque ita significasse, pro certissima habere se moralium Principiorum fidem, neque de iis, deque geometricis à nobis diversa sentire.

Jam ipsas, quæ ex his derivantur Principiis, demonstrationes si aggrediamur, multis eas, quod necesse fuit, magnisque labore viuis comperiemus : ipsis Geometris testimibus, quorum nonnulli Demonstrationes quasdam Euclidis reprehenderunt. Prodit ante annos aliquot liber De proportionibus, in quo Ἀριθμητικὸς arguitur Euclides in aliquibus circa proportiones Demonstrationibus. Ex hoc Axiomate, quod ea æqualia esse sciscit quæ sibi mutuo congruent, deducēta est, ut diximus, Demonstrationis quartæ Propositionis libri primi Euclidis ; quam cum respuant Geometræ insigne, respuant quoque necesse est Propositiones omnes quæcumque hujus subsidium arcessunt. Sunt autem quamplurimæ, totamque Geometriam labes hæc inficit. Argumentandi genus, quod conitat deductione ad absurdum, & quo Archimedes usus est, ut ὁρθογωνίον repudiabat Josephus Scaliger, atque item illud, quo æquale aliquid alteri esse concluditur, quod nec majus eo sit nec minus. Plura in id argumentum affere possem, sed ea colligere otii nostri non est. Atque hæc sane ad institutam disputationem sufficiunt.

Laus Geometria.

III. Quid igitur Geometriam aspernamur? non equidem obtusa adeo pectora gerimus : imo vero, artis miramur subtilitatem, præclaraque ad veri notitiam ἐπιστήμην, & dia reperta Geometrarum. Quanta hinc porro humano generi utilitates extiterint, quis adeo hebes est & fungus qui nesciat? Quapropter si quis Geometriæ contemnatur opem, maximis se ipse exuat commodis, eique ritu ferino vita ducenda sit. Hanc olim studiose coluimus, plurimaque nos inde ad reliquias disciplinas adjumenta percepisse profitemur ; & si quid ex aliis, in quibus elaborandum nobis est, studiis otii supereftet, nobilissimæ huic doctrina libenter & jucunde tribueremus. Verum quantum ab eorum barbarie absimus, qui suam dignitatem detrahunt Geometriæ, cuius præstantiam nec intelligunt ; tantum ab iis recedimus, qui veritatem ejus extollunt in immensum, pluſque ipsi habendum esse censem fidei, quam cæteris rebus humanis, sensuumque adeo suorum testimonio, aut experientiae magistræ, aut evidentiæ denique cuiuslibet & perspicuitat morali. Nam certiores has esse ait ad veritatis cognitionem vias, quam quas Geometræ insistunt. Nec tamen in moralibus illis Principiis & decretis numquam errari puto : hoc tantum volo, quædam esse Principia moralia, cujusmodi ea sunt quæ proposuimus, quorum non minus integra sit auctoritas, & explorata fides, quam geometricorum ; ac proinde Demonstrationes quas ex illis ad Christiani dogmatis assertionem deducemus καὶ ἐπισημονῶν τέρπον, haud minus veras habendas esse, quam quæ ex geometricis Principiis nascuntur. Unde intelligent impii, & Dei, omnisque religionis oforos ac perduelles, quantum eos fallat ratio, dum inania hominum opinantur esse figmenta, quæcumque de Deo, Deoque cultu & obsequio, ac rebus divinis sibi ad credendum tradi solent.



PROPOSITIONES.